

## DE BELLO CIVILI LIB. I

Quibus rebus cognitis Caesar, etsi magni interesse arbi- 21  
trabatur quam primum oppido potiri cohortisque ad se in  
castra traducere, ne qua aut largitionibus aut animi confir-  
matione aut falsis nuntiis commutatio fieret voluntatis, quod 2  
5 saepe in bello parvis momentis magni casus intercederent,  
tamen veritus ne militum introitu et nocturni temporis li-  
centia oppidum diriperetur, eos qui venerant collaudat atque  
in oppidum dimittit, portas murosque asservari iubet. Ipse 3  
in eis operibus quae facere instituerat milites disponit, non  
10 certis spatiis intermissis, ut erat superiorum dierum consue-  
tudo, sed perpetuis vigiliis stationibusque, ut contingant inter  
se atque omnem munitionem expleant ; tribunos militum et 4  
praefectos circummittit atque hortatur non solum ab eru-  
ptionibus caveant sed etiam singulorum hominum occultos  
15 exitus asservent. Neque vero tam remisso ac languido 5  
animo quisquam omnium fuit qui ea nocte conquieverit.  
Tanta erat summae rerum exspectatio ut alius in aliam 6  
partem mente atque animo traheretur, quid ipsis Corfinien-  
sibus, quid Domitio, quid Lentulo, quid reliquis accideret,  
20 qui quosque eventus exciperent.

Quarta vigilia circiter Lentulus Spinther de muro cum 22  
vigiliis custodibusque nostris colloquitur : velle, si sibi fiat  
potestas, Caesarem convenire. Facta potestate ex oppido 2  
mittitur, neque ab eo prius Domitiani milites discedunt  
25 quam in conspectum Caesaris deducatur. Cum eo de 3  
salute sua orat atque obsecrat ut sibi parcat veteremque  
amicitiam commemorat Caesarisque in se beneficia exponit,  
quae erant maxima : quod per eum in collegium pontificum 4  
venerat, quod provinciam Hispaniam ex praetura habuerat,  
30 quod in petitione consulatus erat sublevatus. Cuius oratio- 5  
nem Caesar interpellat : se non malefici causa ex provincia